

HECTAR QVI ET HICCAR DICITVR.



HEctar, quem etiam Hiccarē uocamus, filius fuit Brenni regis Boiorum, quem fama tenet Batauiæ Noricorum sepultum fuisse. Eo itaq; mortuo, Hiccar filius eius regnū suscepit. Quam primū uero is auitū regnū administrare cœpisset, statim cū quibusdam finitimiis regibus pacem sancxit. cum autem alij essent qui ei repugnarent, eos armis aggressus, sibi subiecit, atq; hac ratiōe regnū suum lōgē lateq; firmauit. Erat enim uir robustus, audax, & belli peritissimus. Ab eo itaque Hiccare, frequens etiamnum dicterium uulgō iactatur, uti scilicet audacē & intrepidum hominacionem in Germania Heckerlein nominemus: quod si etiā quis robustæ naturæ existat, atque stomacho ualens, multū cibi deuorat, eum instar Heckari comedere dicimus. Cum itaq; Hickar lōgo tempore regnum Boiorum gubernasset, filio suo Franconi moriens id per manus tradidit. Regnauit is eo tempore cum Iudices rebus Israeliticis in terra promissa & imperata præesserent. Manetho. Euseb.